8 1 8
B97 mL

MAX et MORITZ

facinora puerilia

septem dolis fraudibusque peracta

ex inventione

GUILIELMI BUSCH

POETAE PICTORISQUE



in sermonem Latinum conversa

a

versificatore sereno.

(Dr. G. Merten)

a. MDCCCCXXXIII.

MONACHII apud BRAUN & SCHNEIDER

BIBLIOPOLAS

This Book Belongs to -
Robert Schaffrath
706 Livingston Ave.
Syracuse, N.Y.
Please return if found

2.70
2.03

THEODORE LOWNIK LIBRARY
BENEDICTINE UNIVERSITY
5700 COLLEGE ROAD
LISLE, IL 60532-0900

WITHDRAWN

Theodore Lownik Library
Illinois Benedictine College
Lisle, Illinois 60532

MAX et MORITZ

facinora puerilia

septem dolis fraudibusque peracta

ex inventione

GUILIELMI BUSCH

POETAE PICTORISQUE



in sermonem Latinum conversa

a

Dr. G. Merten

Editio sexta decima.

a. MDCCCCXXXII.

MONACHII apud BRAUN & SCHNEIDER

BIBLIOPOLAS

831.8
B977mL

München

Druck und Verlag Braun & Schneider

Alle Rechte vorbehalten.

Printed in Germany

Praefatio.

Heu funestam juventutem!
Nullam video virtutem
Nunc in nostris liberis,



Nullam etiam in his.
Max et Moritz vix puniti,
Poenae cito iam obliti
Omnes bonos irredebant
Et ludibrio habebant,
Quin ad maleficia
Diriguntur studia!
Homines ludificantes,
Bestias vero cruciantes,
Poma, pruna defurantes,
Omnia loca pervagantes
Magno gaudio utuntur;
Instructione non fruuntur.
Sed „vae, vae, vae" nos clamamus,
Exitum si iam spectamus!!
Quanta sit peccati vis,
Nunc his imagunculis
Et his verbis demonstrabo
Virtutemque adiuvabo.

---

ludibrio habere aliqm. = jem. verspotten
imaguncula = kleines Bild

Dolus primus.

Pabulatio gallinarum
Est voluptas feminarum.
Cur? – – Ut ova producantur,
Quae cottidie nascantur,
Et quod avium est caro
Nobis usui non raro,
Et quod plumae consumuntur,
Quae in lectos tarciuntur.
Nocent enim frigora
Nobis hiemalia.

Ecce Bolte vidua
Caloris amantissima.



Quae gallinas tres alebat;
Gallus clarus has regebat.
Max et Moritz haec viderunt,
„Quid faciamus?" quaesiverunt.
Statim furtum praeparatur.
Cito panis dissecatur
Quattuor in particulas
Digitis simillimas.
Per transversum decussantur
Atque filis copulantur.



Tum in spatio areae Clam ponuntur feminae.

filum = Faden
area = Hof, Grundstück
transversus = quer
decusso = kreuzweise verteilen



Gallus cibum aspicit,
Magna voce cecinit.
Quod gallinae audiunt.
Cito, cito veniunt.



Currunt, currunt magna vi,
Edunt rostro agili.

agilis = behende



Sed post cenam sentiunt:
„Fila nos impediunt".



Exercent in omnes partes
Liberandi vanas artes.

Et postremo volitantes,
Octo alas agitantes

Paulo altius tolluntur,
Ramo autem vinciuntur.
Fiunt fauces longiores,
Magis anxii clamores.



Ova fiunt quattuor — — —
Tum torpescit omne cor.



Bolte vidua experrecta,
Curis maximis affecta

torpesco = erlahmen, erstarren



Intrat nunc in aream
Territa. – – Non credit iam!



Sed re vera cognita
Lacrimavit femina:
„Hic est finis omnium:
Vale, dulce somnium!"



Cultro capto, valde maesta
– – Opera fuit molesta – – –
Fila lente resecat
Et defunctos liberat.



Portat tunc cadavera
In culinam tacita. – –

Talis dolus non amatur.
Tamen novus praeparatur.

culina = Küche

Dolus alter.

Bolte, proba vidua,
Denuo assidua
Vult in maximo honore
Mortuos amatos fore.
Bestias igni vult torrere
Optimeque sic lugere.
Certe luctus fuit rectus
Horridusque hic aspectus:
Nudus gallus cum gallinis,
Harum avium tristis finis!
„Heri terram raserant
Et per hortum vaserant, — —
Hodie iacent illo loco
Mortui in meo foco!"

Ita sentit Bolte sane;
Lacrimat praesente cane. –

Max et Moritz olfecerunt,
Tectum cito ascenderunt.



Vident per fumarium
Gaudium splendidissimum:
Gallinarum copiam
Aptam ad vescendum iam.



olfacio = schnüffeln, riechen

Bolte autem deserit
Nunc culinam et petit

Partem crambes, quam amabat
Et in cella conservabat. – – –
Diligit per totam vitam
Cramben saepe repetitam.
Quae in cella dum fiunt,
Pueri in tecto sunt.
Maxius non desipit;
Hamum secum attulit.

crambe repetita = (klass.) aufgewärmter Kohl



Nunc in regione ima
Haeret iam gallina prima.

Tollunt, trahunt, – trahunt, tollunt,
Reliquas amplecti volunt.
Semel, bis, ter! Capimus.
Etiam gallum rapimus.
Canis fidus observavit;
Magnis viribus latravit.



Pueri non tremuerunt;
Praedam cito abstulerunt.
Tum latratu territa
Venit Bolte vidua.
Pallor tegit viduam,
Ut conspexit patinam.

Scit hic corpora fuisse;
Putat canem rapuisse.

Canis, canis, tibi vae!
Cave plagas feminae!

Non est iustum cochleari
Hunc custodem castigari.
Qui, quod pura eius mens,
Eiulavit innocens.



Pueri se abdiderunt
Et in silva dormiverunt.
Vide cibi avidos:
Restat nihil nisi os.

Talis dolus non amatur.
Tamen novus praeparatur.

Dolus tertius.

Boecius vestes fabricat.
Nemo est, qui nesciat.

Fecit vestes cottidianas,
Bracas antique Germanas,
Neque non solemnes vestes,
Artis suae claras testes;
Partim vestes fabricabat,
Partim vestes reparabat,
Amputabat, adiciebat,
Res antiquas reficiebat
Et, quem bulla deficiebat,
Ei novam adiungebat.
Ita Boecius undique
Proderat in omni re.
Constat omnes adiuvari,
Boecium publice amari,
Sed versari intra muros
Ei noxam paraturos
Duos malos pueros,
Quos defecit bonus mos.

---

braca = Hose
bulla = Knopf

Theodore Lownik Library
Illinois Benedictine College

Ubi Boecius habitat,
Rivi rumor fluctuat.

Ibi est ponticulus
Aptus nunc ad facinus.

Max et Moritz impigri
Serra bene utili
Secant – — curiosus sum – —
Partim hunc ponticulum.

Postquam actus est finitus,
Magnus clamor est auditus.

Boecii nomen exclamant.
Hirci vocem simulant.
Ille homo placidus
Et plerumque tacitus
Subito est stimulatus,
Inflammatus, excitatus.

Ulnam manu nunc vibrat
Et foras praecipitat.
Boecius minime cunctatur;
Clamor enim iteratur.

ulna = Elle

Paene autem pons est ei
Maximae perniciei;



Aqua mergitur totalis.
Esset lapsus hic fatalis,

Nisi anseres fuissent
Et natantes advenissent.



Pedes anserum prehendet. – –
Ita est, et vivus pendet.



Magna anserum est vis.
Boecius est incolumis.



Noxia sunt balnea
Subita et frigida.

Quem fortuna vix servavit,
Stomacho nunc aegrotavit.

balneum = Bad



Uxor autem fervido
Ferro politario
Sanat stomachum aegrotum,
Recreavit corpus totum.

De salute Boecii sani
Gaudent omnes rusticani.
Talis dolus non amatur.
Tamen novus praeparatur.

Dolus quartus.

Dira est necessitas:
Disce, homo, litteras!
Discens solum A-B-C
Tu carebis omni spe
Ad honores ascendendi
Et ingenio crescendi;
Scribas, legas, numeres —
Tamen tibi non est spes,
Nisi confers operam
In sapientiae copiam.

Quod ut bene efficiatur,
Ab hoc Lampulo curatur.
Quare Lampulum oderunt,
Quia pessimi fuerunt,
Max et Moritz vitiosi,
Leves, impii, otiosi.

Constat nostrum Lampulum
Amavisse tabacum.
Egomet non dubito,
Quin, cum e negotio
Senex probus rediit,
Tabacus amoenus sit.
Max et Moritz autem iam
Cogitant malitiam.
Dolum sunt praeparaturi,
Pipa senem aggressuri.
Hora est dominicae.
Lampulus ecclesiae



Servit. Ministerium
Explet ante organum.

dominica = Sonntag

Tum in casam Lampuli
Intraverunt pueri,
Ubi pipam invenerunt,
Quam nunc pulvere pleverunt

Explosivi generis,
Instrumento sceleris.
Fugiunt tum delinquentes
Senis reditum timentes.

Venit quiescendi causa
Senex templi porta clausa;

Est tranquillus reditus
Functi nunc muneribus.

Laetus post officium
Petit domicilium.

Deo gratiam habuit,
Pipae ignem intulit

„O me felicissimum",
Inquit, „contentissimum!" — –

Bona pax est ad fornacem.
Fragor autem frangit pacem.
Olla coffeae est fracta,
In particulas coacta;

Cupa atramenti senis,
Mensa, fornax, sella lenis
Tabacique arcula:
Perierunt omnia.

olla = Topf, Kanne
cupa = Faß

atramentum = Tinte
arcula = Kästchen, Dose

Fugiente parte fumi
Lampulus apparet humi
Vivus nec incolumis;
Magna vis est pulveris.

Ustus crinis ad radices,
Ustum caput ad cervices,
Usta tota facies! – –
Valescendi parva spes.

Quis nunc liberos docebit?
Quis nunc litteras augebit?
Quis futuro tempore
Hoc fungetur munere?
Postquam pipa periit,
Quomodo nunc fumus fit?



Temperi res omnis crescit, – – –
Pipa fracta non sanescit.
Talis dolus non amatur.
Tamen novus praeparatur.

Temperi (Adverb.) = zu rechter Zeit

Dolus quintus.

Habesne avunculum
Divitem homunculum? – –
Habes! Ergo sis modestus,
Illi minime molestus.
Veni visitatum mane!
Nam gaudebit ille sane,
Si urbanus, non iners,
Tabacum et ignem fers.
Si affectus est dolore,
Cura eum cum amore!
Naso tabacum amanti
Gratulare sternutanti!
„Have", dic, „avuncule,
Valeas velim, optime!"
Calceos resolve vero
Domum redeunti sero,
Quod urbanitas te docet.
Frigus enim illi nocet.
Esto denique benignus,
Huius viri gratia dignus!
Max et Moritz non sapiebant,
Pietatem fastidiebant.
Fridericum non amabant,
Innocentem irritabant.

---

sternuto = niesen
calceus = Schuh, Stiefel

Melolonthae hae vulgares
Nobis sunt familiares.

Mense Maio milia
Susurrant per folia.

Max et Moritz quassaverunt.
Melolonthae ceciderunt.

melolontha vulgaris = zoolg. Name des Maikäfers

Nunc curiose colliguntur,
Tum papyro involvuntur,



Quas immittunt scelerati
In cubiculum cognati.

papyrus = Papier(-Staude)

Fridericus dormiturus
Est in lectum invasurus.
Brevi tum exstincta face
Dormit probus bona pace.





Somnia incunda sunt.
Scarabaei veniunt.



Ecce hostium incessus;
Primus nasum est aggressus.

scarabaeus (arch. ägypt.) = Käfer

„Vae, est bestiis affectus
Lectus", inquit experrectus



Et a bestiis coactus
Surgit nunc terrore tractus.



Scarabaeus maximus
Sedet in cervicibus.

Ceteri omnes volitant,
Repunt, currunt, susurrant.



Fridericus verberat,
Caedit, ferit, conculcat.



Vide faciem beati:
Omnes hostes sunt necati.

---

conculcare = trampeln



Tandem victor recreatur,
Somno corpus confirmatur.
Talis dolus non amatur.
Tamen novus praeparatur.

Dolus sextus.

Homines pistorii
Probi sunt et placidi
Crustum dulce condientes
Et coquendo conficientes.
Nostri pueri amabant
Crusta et desiderabant.



Quod hic pistor scit et audit,
Itaque pistrinum claudit.



Hinc consilium est capiendum:
Per caminum est rapiendum!



Ecce pueri non pigri!
Ambo sunt, ut corvi, nigri.



Sed in cistam deiactantur
Et farina maculantur.



Ea re sunt dealbati,
Velut creta maculati.

Pellicientes sunt et mundae
Illae crustulae rotundae.

dealbo = übertünchen



Sella fracta cadunt tum
In propinquum alveum



Plenum atque lubricum.

lubricus = schlüpfrig

Lapsu territi et muti
Stant nunc massa involuti.



Pistor eos deprehendit;
Manus captaturas tendit.



Cito pueros raptavit,
Duos panes fabricavit.



Neque inconstanter ludit:
Pueros in furnum trudit.

furnus = Backofen



Furni aestu nunc coquuntur,
Cocti demum extrahuntur.



Noli mortuos lugere!
Potes alacres videre.



Domicilium perforant;
Partem crusti devorant.



Nunc e velamento sunt
Ridentesque fugiunt.
Sextus dolus narrabatur,
Nunc extremus praeparatur.

Dolus ultimus.

Dolus hic dat nihil spei,
Pueris est perniciei.



Modo incredibili
Saccos laedunt rustici.



Magna cum fiducia
Saccum fert agricola.



Quae dum caute peraguntur,
Grana lente delabuntur.



„Saccus", inquit consternatus,
„Miro modo est levatus."



Duos repperit – io! –
Medio in cumulo.



Saccum statim vacuefecit,
Duos pueros iniecit.

---

io = hei, heisa



Tradit tum cum gaudio
Duos molinario.

Intrans nunc in officinam
„Statim", inquit, „fac farinam!"

officina = Werkstatt (überhaupt)



Et scelesti vera re
Infunduntur machinae.



Frangit mola, frangit mola!
Manet mox farina sola.

Vae, vae! Ambo iacent fracti
Et in frustula coacti.



Quid habemus reliquum? — –



Nutrimentum anatum!

Conclusio.

Fama mox per vicum ruit.
Ibi nullus luctus fuit.
Bolte dicit praesagisse
Se futurum, vel scivisse.
Boecius: „Manet lex moralis:
Est malitia fatalis".
Lampulus: „Exemplum docet
Neque unquam bonis nocet".
Pistor: „Ne sis stupidus,
Dulcium rerum cupidus"!
Fridericus: „Malus iocus
Est calamitatis focus".
Denique agricola:
„Nihil interest mea".
Omni loco murmuratur
Et sententia promulgatur:
Vicit nunc iustitia,
Periit malitia.

---

praesagio = ahnen.

A. BRUDERHAUSEN
BOOKS
15 West
45th Street
NEW YORK
BOOKS

BENEDICTINE UNIVERSITY LIBRARY
3 2811 00155 1243
S0-AFV-098